

§. XVIII.

Juris N. causa efficiens est Deus. *Ille legis hujus inventor, disceptator, lator; Cicero de Republ. L. III. apud Laſtant. L. VI. c. 8.* De modo, quò pendeat hæc lex ab illò, dictum est alibi. *Vid. Comp. Part. I. c. 3. totum.* Atque in hoc cum Jure N. unius est conditionis Jus positivum Divinum.

§. XIX.

Juris positivi humani Autores sunt homines; gentes, saltem moratiores, illius, quod ab ipsis nomen accepit, & gentium esse dicitur; Magistratus verò, ejus, quod civibus suis præscripserunt & civile ab iis vocatur. De domesticò parum sumus solliciti: ejusq; conditores nulla domus & casa nescit.

§. XX.

Jus itaq; naturale, quia Autorem habet Deum, non minus ac jura Divina omnia, requirit, ut actiones nostræ tam internæ, quàm externæ valeant in ipsò forò Divinò, & hoc propter in foro etiam interno coram tribunali conscientiæ uniuscujusq; hominis; quippe quòd hoc illius quasi vestibulum esse videatur. Jus verò positivum humanum satis habet, si in suò, id est, humanò forò, in quo suos habet natales, externæ actiones nostræ probentur.

§. XXI.

Hinc verò minor in Jure positivo humano rigor: *extensivè*; quia contentus est actionibus externis bonis; *intensivè*, quia ad hujusmodi bonitatem sufficiunt circumstantiæ patentibus bonæ. Indè rigor quoq; in Jure N. longè major; *extensivè*, cum interiores etiam actiones ipsæque cogitationes huic subsint; *intensivè*, quoniam latentis non minus, quam patentium circumstantiarum rectitudinem requirit. Quadratur hinc illud Ciceronis *L. I. Officior. Honestum id, quod exquirimus, totum est positum in animi cura & cogitatione.* Deindè verò omnia facta *discordiaque inter se congruere ac respondere sibi & unâ formâ percussa esse debent. Non est hujusmodi animus in rectoribus, cujus acta discordant.* *Senec. Epist. 34.*

CAPUT III.
DE CONSEQUENTIBUS.

§. I.

Per consequentia hinc intelligimus cum Logicis ea, quæ ex antecedentibus ratione attributionis necessariò sequuntur. Talia vero jam exhibebimus quinque, tanquam præcipua, sed brevibus; tum quod natura suâ, quia & quæ